INDEX

LECTIONVM

QVAE

AVSPICIIS REGIS AVGVSTISSIMI

GVILELMI

IMPERATORIS GERMANICI

IN

VNIVERSITATE LITTERARIA

FRIDERICA GVILELMA

PER SEMESTRE HIBERNVM

A D. XVI. M. OCTOBRIS A. MDCCCLXXVIII
VSQVE AD D. XXIX. M. MARTII A. MDCCCLXXIX 1878/79

HABEBVNTVR.

Vahlen

BEROLINI
FORMIS ACADEMICIS
(G. VOGT).

VNIVERSITATIS LITTERARIAE
FRIDERICAE GVILELMAE
RECTOR ET SENATVS.

Aureus libellus est Taciti de oratoribus et cuius elegantia sermonis et sententiarum subtilitas miram legentibus iucunditatem afferat: sed tamen idem pluribus indiciis ingenium luxurians nec satis maturum prodere videtur, stilum autem ad Ciceronis illum quidem imitationem formatum sed non acri ubivis iudicio subactum aut certo decoris sensu temperatum. Quod ut probe ac penitus perspiciatur, pluribus de causis studiose agendum est, sed ea praecipua, ne proclivi errore lapsi librarios arguamus causamque corrigendi arripiamus in iis, quae auctoris culpa admisit. Cuius generis nonnulla hac prolusione attingemus brevi et speciminis loco, non ut exhauriamus materiam sed ut gnavos adolescentes, quorum haec causa maxime scribimus, ad hanc rem curiosius indagandam incitemus.

Itaque Secundus et Aper ubi Materni cubiculum intrarunt eumque sedentem et Catonem tragoediam pridie recitatam inter manus habentem offenderunt, Secundus Maternum increpat his verbis (c. 3, 4): *nihilne te fabulae malignorum terrent quo minus offensas Catonis tui ames, an ideo librum istum apprehendisti, ut diligentius retractares et sublatis si qua pravae interpretationi materiam dederunt emitteres Catonem non quidem meliorem sed tamen securiorem?* Cui illum ita respondentem facit Tacitus:

> *Tum ille* '*leges tu* quidem *quid Maternus sibi debuerit et agnosces quae audisti; quodsi qua omisit Cato sequenti recitatione Thyestes dicet: hanc enim tragoediam disposui iam et intra me ipse formavi.*

Prima illa verba Materni *leges tu quidem quid Maternus sibi debuerit*, in quibus *quidem* praeter codices de Seebodii coniectura a Schopeno recepta addidimus, gravi reprehensione Nipperdeius corripuit: non iniuria neque nos acuti hominis

iudicio repugnamus aut interpretandi artificiis fallere inscitiam orationis studebimus; sed dum fatemur non laudabili modo misceri et in unum conflari sententias duas quas aegre concilies, ipsum incusamus scriptorem, neque adducimur ut ratum habeamus audax illius viri docti conamen multis probatum, quo cum haec tantum Tacito relinquat *tum ille* '*leges*' *inquit* '*si libuerit et agnosces quae audisti,* cogitandi quidem severitati recte consuluit sed damnum damno reparans simul verba illa *quid Maternus sibi debuerit* gravia et hanc lenem Materni indignationem eximie decentia sustulit. Et quid exempta levat spinis de pluribus una? Cum enim Aper sermonem excipiens in hunc modum verba faciat:

> *Adeo te tragoediae istae non satiant quo minus omissis orationum et causarum studiis omne tempus modo circa Medeam, ecce nunc circa Thyestem consumas: cum te tot amicorum causae, tot coloniarum et municipiorum clientelae in forum vocent, quibus vix suffeceris etiam si non novum tibi ipse negotium importasses Domitium et Catonem, id est nostras quoque historias et Romana nomina Graeculorum fabulis aggregares,*

miramur rursus hanc orationem nec ipsam prudenter compositam et parum ad Materni sermonem accommodatam. Nam si nolebat Aper quod licebat universe loqui ('omissis orationum studiis omne tempus circa fabulas consumas'), sed exempla ponere maluit, non *Medeam* praeter opinionem afferri sed ipso ducente sermonis itinere *Catonem* cum *Thyeste* copulari oportebat ('modo circa Catonem, ecce nunc circa Thyestem'). Dein idem extollit causarum multitudinem, quae Maternum in forum vocent, quibus ille vix par esse possit etiamsi — quis non expectaverit dicturum fuisse 'nullas tragoedias faciat', ille vero ait 'etiamsi non Romanas Graecis aggregare fabulas instituerit'. Quasi vero Maternus melius satis facere forensi labori posset, si pro praetextatis Graecas tragoedias componeret. Verum haec nos et si quae sunt leviora in illis incommoda non coniecturis domanda arbitramur, sed culpae damus scriptori, qui cum Maternum in utroque genere tragoediae elaborasse exemplis declarare parque pari aequa lance respondere vellet, sententiarum necessitatem parum curavit nec illud satis attendit quid sermo nativo flumine labens posceret aut ferret.

Ne illa quidem verba magnam stili aut diligentiam aut peritiam produnt quibus Aper suam Materni accusationem orditur c. 5, 12.

> *Et ego enim, quatenus arbitrum litis huius invenimus* (*inveniri* libri: cf. 4, 7), *non patiar Maternum societate plurium defendi, sed ipsum solum apud vos* (*eos* libri) *arguam, quod natus ad eloquentiam virilem et oratoriam qua parere simul et tueri amicitias, asciscere necessitudines, complecti provincias possit, omittit studium, quo non aliud in civitate nostra vel ad utilitatem fructuosius* [vel ad voluptatem iucundius] *vel ad dignitatem amplius vel ad urbis famam pulchrius vel ad totius imperii atque omnium gentium notitiam illustrius excogitari potest.*

Cum enim in promptu fuerit duas contendere artes quarum alteram colit alteram omittit Maternus iniuria iudice Apro, una eloquentia bis eadem comprehensione non valde dissimili modo laudatur, ita ut aequabilitas quidem quaedam orationis legentis voluptati lenocinetur sed acrius attendenti pondus orationis non nimis prudenti consilio elevari videatur.

Non magis laudamus quae Messalla dicit c. 15, 12.

velim impetratum ab aliquo vestrum ut causas huius infinitae differentiae scrutetur ac reddat quas mecum ipse plerumque conquiro; et quod quibusdam solacio est, mihi auget quaestionem, quia video etiam Graecis accidisse, ut longius absit ab Aeschine et Demosthene Sacerdos iste Nicetes et si quis alius Ephesum vel Mytilenas concentu scholasticorum et clamoribus quatit, quam Afer aut Africanus aut vos ipsi a Cicerone aut Asinio recessistis.

Nullo enim pacto comparationem illam Graecos inter et Romanos oratores institutam coeptae orationi *video etiam Graecis accidisse* aptaveris. Neque vero qui emendando opem ferre studuit transposita *etiam* particula ante *longius* assecutus est quod voluit, et apparet scriptori dum astringit orationem non contigisse ut sensui verba probabili ratione exaequaret.

Sed insignius exemplum male compositae orationis hoc est. Aper posteaquam de universa antiquae eloquentiae causa et condicione exposuit, c. 21 ad insimulandos singulatim veteres oratores ita se dat ut exorsus a Calvo deinceps Caelium, Caesarem, Brutum, Asinium, Corvinum exagitet, denique ad ipsum Ciceronem aggrediatur. Cui disputationi respondens Messalla his verbis utitur c. 26, 29.

Ego autem expectabam ut incusato Asinio et Caelio et Calvo aliud nobis agmen produceret pluresque vel certe totidem nominaret, ex quibus alium Ciceroni, alium Caesari, singulis deinde singulos opponeremus; nunc detrectasse nominatim antiquos oratores contentus neminem sequentium laudare ausus est nisi in publicum et in commune.

Non ambigimus de sententia neque praeter Ciceronem et Caesarem tertium requirimus Brutum, quem hac forma *alium Bruto* medium inter duos interponi Spengelius suaserat; sed hoc admiramur placuisse scriptori illam nominum exempli causa positorum in utraque parte sententiae varietatem ab instituta ratione plane alienam. Poterat universe loqui ut ita diceret 'expectabam ut incusatis veteribus oratoribus plures vel totidem recentium nominaret, ex quibus alium Ciceroni, alium Caesari opponeremus'. Sed si nomina posuerat pauca de pluribus selecta in priore parte enuntiati, eadem teneri par erat in altera neque ab iis diversa afferri, aut certe si in hac altera parte Ciceronis et Caesaris principum oratorum nomina desiderari probo id quidem consilio noluit, haec eadem superioribus illis addi aut praemitti oportebat.

Diligentiam quidem sermonis requirimus etiam in iis quae idem Messalla c. 25, 27 dicit, qui ubi Calvum, Asinium, Caesarem, Caelium, Brutum, Ciceronem

specie quidem ingenii distare sed tamen eodem omnes praestantis eloquentiae genere contineri disputavit ita pergit:

> *Nam quod invicem se obtrectaverunt et sunt aliqua epistolis eorum inserta ex quibus mutua malignitas detegitur, non est oratorum vitium sed hominum. nam et Calvum et Asinium et ipsum Ciceronem credo solitos et invidere et livere et ceteris humanae infirmitatis vitiis affici; solum inter hos arbitror Brutum non malignitate nec invidia sed simpliciter et ingenue iudicium animi sui detexisse.*

Quae per se quidem spectata non habent quod improbentur: sed ubi contenderis cum Apri verbis quibus Messalla repugnat, apparet socordia. Sic enim Aper c. 18, 22 *satis constat ne Ciceroni quidem obtrectatores defuisse, quibus inflatus et tumens nec satis pressus sed supra modum exultans et superfluens et parum Atticus videretur. legistis utique et Calvi et Bruti ad Ciceronem missas epistolas, ex quibus facile est deprehendere Calvum quidem Ciceroni visum exsanguem et aridum, Brutum autem otiosum atque diiunctum, rursusque Ciceronem a Calvo quidem male audisse tamquam solutum et enervem, a Bruto autem, ut ipsius verbis utar, tamquam fractum atque elumbem.* In his Asinii nulla fit mentio et de epistolis tantum Calvi et Bruti ad Ciceronem missis dicitur. Atqui Asinius inter Ciceronis obtrectatores recte quidem referri poterat, de quo notum est quid Quintilianus in simili sententia 12, 1, 22 scripserit aut Seneca in suasoria tertia: sed tamen Apri et Messallae orationes comparanti Tacitus hac quidem parte id non secutus videbitur quod facili negotio altero utro loco consequi poterat, ut defensio accusationi accurate responderet. Quodsi ita recte iudicamus, licebit fortasse alium dialogi locum a suspicione vitii in quam incurrit liberare culpamque male congruentis sermonis ad ipsum reiicere auctorem. Pergit enim Messalla post illa verba quae supra adscripsimus c. 25, 36 *Quod ad Servium Galbam et C. Laelium attinet et si quos alios antiquorum agitare non destitit, non exigit defensorem, cum fatear quaedam eloquentiae eorum ut nascenti adhuc nec satis adultae defuisse.* Quibus ille Apri verba tangit quae c. 18 in. leguntur

> *haec ideo praedixi ut si qua ex horum oratorum fama gloriaque laus temporibus adquiritur, eandem docerem in medio sitam et propiorem nobis quam Servio Galbae aut C. Carboni quosque alios merito antiquos vocaverimus.*

At ibi nullus Laelius sed praeter Servium Galbam C. Carbo memoratur, cuius in sua oratione Messalla non meminit. Fuerunt qui hanc discrepantiam tollerent, aut ita ut c. 18 *C. Laelii* nomen inter *Galbam* et *C. Carbonem* medium interponerent aut c. 25 *C. Laelii* loco reponi *C. Carbonem* iuberent: neutrum sine ratione: nisi quod nobis iam illa considerata condicione dialogi probabilius videtur, quoniam cum Servio Galba C. Carbo tam recte quam C. Laelius componi poterat, id quod firmare si tanti est Ciceronis testimoniis licet, Tacitum de congruentia sermonis securum nunc huic, nunc illi autem oratori locum dedisse.

Sed sit hoc satis reprehensionis. Ac ne solum scriptorem opusculi carpsisse iniquius videamur, multa in hoc libello deliquerunt etiam librarii, quamquam fortasse non tam multa quam plerique hodie opinantur. Videmus enim nonnulla identidem coniecturis temptari quae recte scripta sunt neque ullam dubitandi materiam afferunt. Velut quae c. 36, 31 leguntur

cum parum esset in senatu breviter censere nisi qui ingenio et eloquentia sententiam suam tueretur

quod Andresenus cavillatur ita rationem concludens 'ergo tum satis erat in senatu breviter censere si quis ingenio et eloquentia sententiam tuebatur' et Ritschelio auctore et adiutore verba integerrima additamento prorsus inutili auget, neglexit homo subtilis certissimum morem sermonis latini. Ita enim Plautus locutus est, *non satis id est mali ni etiam amplius quod ecbibit* Trin. 249, quem versum vitii quidem non immunem interpreti tamen dari cum Buechelero et Ritschelio nolimus, et Terentius, *non satis est tuum te officium fecisse, id si non fama adprobat* Phorm. 4, 5, 12, et Cicero, *non satis erat in tabulis inspexisse quantum deberetur, nisi ad Castoris quaesisses quantum solveretur* pro Quinct. 4, 17; *parum miseriae sit quod aliis coluit, nisi etiam quod omnino coluit crimini fuerit* pro Rosc. Am. 17, 49; *nec habere virtutem satis est nisi utare* de rep. 1, 2, 2, idemque saepe alias, et Livius, *templum violare parum habuisse, nisi detexisset foede ac prope diruisset* 42, 3, 6; et praeter ceteros creberrime Seneca philosophus, *parum est illi capere patriam, nisi verterit*; *parum foede insolens fuerat, qui de capite consularis viri soccatus audiebat, nisi in os senatoris ingessisset; parum est pecuniam quaesisse nisi solvit; parum est illi velle, nisi profuit, parum est profuisse nisi voluit; parum est sumere unguentum, nisi bis die terque renovatur.* Apparet si isto modo calumniari illam Taciti sententiam licet, idem in omnia cadere exempla, sed dandum hoc est consuetudini sermonis, ut quae seiunctim efferri poterant — *parum est dedisse, fovenda sunt* (Seneca); *parum est virtutem habere, utendum est; parum est aegrum non esse, alacrem volo* (dial. 23, 19) — ea in unum comprehendantur collecto dicendi genere, cui *nisi* particula in his inservit et in cognatis, *nequam illud verbumst 'bene volt', nisi qui bene facit; homines nihili faciunt quod licet, nisi quod lubet.* Eiusdem autem Senecae exemplo cum alia plura in hoc dialogo firmare possis (velut Haasius illius potissimum auctoritate haec c. 16, 35 *incipit Demosthenes extitisse* multis coniecturis obnoxia egregie stabilivit et declaravit) tum videmur nobis haec verba c. 38 in. tueri

Transeo ad formam et consuetudinem veterum iudiciorum: quae etsi nunc aptior extiterit, eloquentiam tamen illud forum magis exercebat, in quo cet.

In quibus *quae* pronomine non *formam veterum iudiciorum* sed *formam iudiciorum* designari apparet: quam ob rem qui *veterum* deleri iussit, quam adiuvare voluit orationem depravavit: eo enim dempto vocabulo quo referimus *illud forum?* Sed dubitationem de pronomine relativo tollent haec quae Seneca scribit de otio c. 3

hoc Stoicis quoque placere ostendam, non quia mihi legem dixerim nihil contra dictum Zenonis Chrysippive committere sed quia res ipsa patitur me ire in illorum sententiam: quam si quis semper unius sequitur, non in curia sed in factione est, ubi eadem offensione ductus Madvigius, cum reliqua recte emendaret, *quam* prave in *nam*, deterius etiam Gertzius in *quoniam* mutavit; et dici vix potest quoties vel a doctissimis in pronomine relativo peccetur, cuius usus habet quasdam singulares ac reconditiores formas, declarandas aliquando. Porro nihil salutis attulerunt coniecturae verbis sanissimis c. 10, 38

> *ne ad illud quidem confugere possis quod plerisque patrocinatur tamquam minus obnoxium sit offensae poetarum quam oratorum studium: effervescet enim vis pulcherrimae naturae tuae nec pro amico aliquo sed, quod periculosius est, pro Catone offendes. nec excusatur offensa necessitudine officii aut fide advocationis aut fortuitae et subitae dictionis impetu: meditatus videris aut elegisse personam notabilem et cum auctoritate dicturam.*

Sive enim *meditatus ultro elegisse* de Schopeni opinatione scripseris sive alio quo modo *meditatus elegisse* verba iunxeris, inutiliter eligendi notio oneratur et utriusque vis verbi valde infringitur, praeter scriptoris consilium, qui hanc subtilem concinnitatem sectatus est, ut *meditatus* vox *fortuitae et subitae dictioni, necessitudini* autem *officii* et *advocationis fidei* opponerentur verba *elegisse personam.* Plane vero egregia sunt verba quibus suae orationi finem imponit Maternus c. 13, 25

> *non me fremitus salutantium nec anhelans libertus excitet, nec incertus futuri testamentum pro pignore scribam, nec plus habeam, quam quod possim cui velim relinquere: quandoque enim fatalis et meus dies veniat statuarque tumulo non maestus et atrox sed hilaris et coronatus et pro memoria mei nec consulat quisquam nec roget.*

Et tamen importune attemptantur a criticis: nos nihil in iis mutavimus aut mutari oportere concedimus, sed distinguendo sensum patefacere studuimus, et hoc esse manifestum putamus, illa *meus dies veniat statuarque tumulo* non posse nisi cum insigni sententiae detrimento seiungi.

At sunt alia in quibus olim certa divinatione verum recuperatum est, sed hodie errare malunt et ingenio indulgere quam optime inventis uti. Nam certum est quod F. Ritterus restituit in Materni oratione c. 11, 19

> *nam statum cuiusque ac securitatem melius innocentia tuetur quam eloquentia, nec vereor ne mihi umquam verba in senatu nisi pro alterius discrimine facienda sint.*

Recte enim et apposite Maternus ab universa sententia ad semet ipsum et quid sibi futurum speret progreditur, et quod librarii *tueor* scripserunt pro *tuetur*, nempe eodem errore in contrarium peccantes c. 33, 18 *videtur* exararunt pro eo quod erat *videor.* Ac pridem verissima coniectura sed adeo spreta ab omnibus ut

plane pro nova, ut est revera, proferri debeat, sublatum est vitium in his Messallae verbis c. 25, 9

ne illi quidem parti sermonis eius repugno si comminus fatetur plures formas dicendi etiam iisdem saeculis nedum diversis extitisse.

Quae ut sunt depravata, ita largam opinionum segetem tulerunt, in quibus recognoscendis non abutemur otio, quoniam nemo inter tot criticos ne contempta quidem, ut assolet, mutandi modestia probabilem et huic sententiae aptam orationem coniectando assecutus est; neque melius nuper Ottoni Ribbeckio emendatio successit; et tamen veritas est in proximo: una littera mutata et *comminās* reposito pro *comminus* ipsa manus scriptoris prodit: *ne illi quidem parti sermonis eius repugno, si comminans fatetur, plures formas dicendi etiam iisdem saeculis nedum diversis extitisse.* Quippe comminatus erat Aper ibi ubi hanc sententiam protulit cui se repugnare Messalla negat, c. 18, 8, *agere enim fortius iam et audentius volo, si istud ante praedixero mutari cum temporibus formas quoque et genera dicendi.* Itaque hoc novum eius verbi et participii exemplum paucis quae lexica habent accedat. Sed quod non novam esse coniecturam diximus, a. 1842 a Nisseno proposita est, aspernati autem editores omnes sunt ut ne mentione quidem dignam haberent (praeter Andresenum in Emend. p. 149) non alia ut videtur de causa, quam quod *si* particulam in illa syntaxi ferri non posse ac pronomen relativum *qua* requiri rati, hac persuasione in devia seduci se passi sunt. Enimvero illi particulae Ciceronis auctoritas patrocinatur, qui ita scribit: *illa suspicio intolerabili dolore cruciat, si opinamur eos, quibus orbati sumus, esse cum aliquo sensu in iis malis quibus vulgo opinantur* Tusc. 1, 46, 111; *Chrysippus autem caput esse censet in consolando detrahere illam opinionem maerenti, si se officio fungi putet iusto atque debito* ibid. 3, 31, 76; nec dissimiliter *ista sententia maxime et fallit imperitos et obest saepissime rei publicae, cum aliquid verum et rectum esse dicitur, sed optineri id est obsisti posse populo negatur* de leg. 3, 15, 34; quibus rursus conferri possunt quae in ipso dialogo leguntur c. 15, 3 *hunc tuum sermonem saepe excepi, cum oblitus et tuae et fratris tui eloquentiae neminem hoc tempore oratorem esse contenderes*; aut c. 14, 9 *delectasset te Apri sermo, cum Maternum exhortatus est.* Potuit his quidem locis omnibus pro *si* vel *cum* particulis pronomen relativum accommodari, cuius usus est sane longe frequentissimus in hoc genere abundantioris sive laxioris orationis; quod genus in prooemio lectionum hibernarum a. 1876 p. 8 tetigimus, tum exemplis usi Tullianis, Livianis, *edicto quo edixerunt; propositum quo statui; praeceptum quo monet;* quibus addimus, ut in transcursu emendemus, Suetonii verba de vita Terentii p. 32 R. *post editas comoedias nondum quintum atque vicesimum egressus annum, animi causa* seu *vitandae opinionis qua videbatur aliena pro suis edere seu* ad *percipienda Graecorum instituta moresque, quos non perinde exprimeret in scriptis, egressus est neque amplius rediit.* Nam *opinionis qua videbatur* recte scribitur et ne-

cessario, cum in libris sit *qui* vel *quia*. Reliqua vero cum hodie sic vulgentur *annum, causa vitandae opinionis,* nos codicis Parisini auctoritatem pressius secuti illam effecimus scripturam quam supra posuimus. Cum enim ille liber habeat *annum animi causa vitandae*, reliqui *annum causa evitandae,* rationi parum consentaneum videtur, abiicere vocem aptissimam et quae cur desideretur in ceteris codicibus facile perspicitur, errore aut consilio additam in Parisino credibile non est. Praeterea *causa* suo genitivo praepositum, de quo Ritschelius in illo docto commentario minus accurate egit, etsi fortasse non addubitandum est — semel ita Suetonius in Aug. c. 24, semel Seneca de benef. 4, 3, 1, pluribus locis Livius sed ut dubitatio de sinceritate scripturae non absit quam Madvigius expendit in Emendationibus Livianis iterum editis p. 579 — sed certe insolens est haec collocatio; quae Parisini codicis testimonio removetur. Sed ut redeamus illuc, quam frequentissimam formam illius abundantiae diximus, ea multum tamen abest ut unica sit, et ut in *si* vel *cum* offendi non debuit, ita nos ne talia quidem refugimus quale hoc est Petronianum c. 25 *hinc etiam puto proverbium natum illud, ut dicatur posse taurum tollere qui vitulum sustulerit,* in quibus verba *ut dicatur* non recte, opinamur, Buechelerus seclusit ut glossam, motus ille quidem discrepantia quadam scripturae, sed quod in multis libris non *ut dicatur* sed *illud dicatur ut* scriptum legitur, non ita difficilem explicatum habet. Et plane comparis orationis exemplum extat in dialogo nostro c. 26, 15

Unde oritur illa foeda et praepostera sed tamen frequens sicut his clā et exclamatio, ut oratores nostri tenere dicere, histriones diserte saltare dicantur.

Nam id quidem dubitari non debuit, quin exclamatio intelligeretur, qua oratores tenere dicere, histriones diserte saltare dicerentur. Sed de hoc loco amplius disputandum est. Etenim illa mendosa *sicut his clā et,* etsi saepe a multis temptata sunt, qui feliciter restituerit nondum inventus est. Nam ut omittamus alia nec ab oratione nec a mutandi genere commendabilia, L. Schopeni commentum quo in *clā* putabat *clausula* delitescere scripsisseque Tacitum *frequens .. clausula et exclamatio*, est illud quidem valde speciosum multisque placuit, sed tamen neque significatio vocis curiosius excussa ad hanc sententiam facere videtur (nam *clausula* non iudicantium est, sed orantium, sed agentium, neque *clausula* et *exclamatio* nisi cum magna ambiguitate in eam vim copulari poterant, quae Schopeni sententia fuit, ut exclamatio designaretur, quae, cum ad finem ventum esset, tolleretur) neque aut ipsi Schopeno contigit aut aliis qui ab ipsius opinatione profecti sunt, ut reliquis leni medela curatis concinnam orationem nacti emendationem perficerent. Nam quae scribunt *sicut scitis* vel *saeculi huius* vel *ut sic dixerim clausula,* aut inania et superflua afferunt aut magno molimine sunt exsculpta quo omnis coniecturae probabilitas perit. Itaque nos omissa *clausula* inde initium emendandi capimus ut *clamet,* quod ipsum est in libris, primitivam fuisse scripturam statua-

mus: quo posito reliqua facili opera ad sanam sententiam aptamque orationem revocantur. Sic enim scripsisse Tacitum opinamur:

Unde oritur illa foeda et praepostera sed tamen frequens, sic ut quiuis *clamet, exclamatio, ut oratores nostri tenere dicere, histriones diserte saltare dicantur.*

Nimirum frequentiam foedae illius exclamationis extolli voluit, commode et orationis forma sumpta ab eo, quem toties imitatur, Cicerone, qui ita scribit de fin. 1, 4, 11 *qui autem alia malunt scribi a nobis, aequi esse debent, quod et scripta multa sunt, sic ut plura nemini e nostris, et scribentur fortasse plura*; pro Planc. 8, 21 *huius praefectura plena virorum fortissimorum, sic ut nulla tota Italia frequentior dici possit;* ad Att. 1, 16, 3 *iudicium si quaeris quale fuerit, incredibili exitu, sic uti nunc ex eventu . . reprehendatur*, de quibus verbis interpretes quidam male iudicant; nec secus Nepos in Epaminonda 2, 1. Quodsi ita verba Taciti recte tractavimus, apparet archetypi scripturam *clāet* litteris forte diductis cum librariis dialogi tum nostrae aetatis doctis hominibus fraudem fecisse; et quod alibi exemplo monstravimus, compendium scripturae admodum vulgare prave a librariis acceptum errores in hoc libello creavisse, simile et in hunc locum cadit et fortasse in ea verba quae c. 22, 15 extant:

nam priores eius (Ciceronis) *orationes non carent vitiis antiquitatis: lentus est in principiis, longus in narrationibus, otiosus circa excessus; tarde commovetur, raro incalescit; pauci sensus optet cum quodam lumine terminantur.*

Hoc enim, *optet*, quod ipsum habet codex Farnesianus, scripturae discrepantia a Michaele exposita docet, in communi omnium exemplari exaratum fuisse, cuius scripturae vim cum non perspicerent librarii, aut *opt. et* aut *opt. .... et* cum defectus indicio effecerunt. Atqui illam scripturam quam primitivam ducimus, si quis ex *apte et* de Acidalii coniectura ortam statuet, redargui non poterit: satis facit enim hoc sententiae, nisi quod de hiatu orationis propter illa indicia cogitari non debuit. Sed nisi fallaci specie inducimur, aliud latet et is qui primus *optet* posuit *oportet* intelligi voluit, quod verbum eodem modo scriptum extat in codice Nazariano Senecae de beneficiis p. 16, 15 G. *multa sunt autem quae oportet (queoptƺ) accipere nec debere,* ubi non erat quod Gertzius alia coniectando anquireret. At *oportet* si verum est, consequitur, ut haec manca sit oratio, licetque haud operose explere in hunc modum *pauci sensus* apte et ut *oportet cum quodam lumine terminantur*, perapte si quid sentimus ad sententiam et rursus ad Ciceronis exemplum, cuius haec verba sunt de legibus 1, 6, 18 *Alte vero et ut oportet a capite repetis quod quaerimus.* Simili ratione nisi fallimur interpretandae sunt scripturae quae ad c. 12, 17 afferuntur, ubi omnia librorum indicia eo ducere videntur, ut *mor* scriptum fuisse pro *maior* in archetypo credatur, *nec ullis aut gloria mor aut augustior honor;* quod quia nihili erat, librarii aut *mor* tenentes aut *more* ut vox saltem latina esset reponentes defectus notam addiderunt, cum oratio, modo *maior*

restitueris, integra videatur. Item c. 13, 4 *licet istos certamina et pericula sua . . et consulatus evexerint,* consuetam notam qua *consulatus* scribitur librariis molestias peperisse videmus; simul aliquid scribendo praetermiserunt: nam oratio ipsa, non solum *et* quod traditum est, ad *consulatus* addi alterum et simile exposcit: *ad sacerdotia et consulatus* vel *ad praeturas et consulatus* (cf. 36, 24; 7, 10); nam Ritteri *ad opes et consulatus* minus aptum est, sed nihil definimus. Quod vero et hoc loco et supra ante *oportet* aliquid omissum suspicamur, nulla corruptela saepius integritatem huius libelli adrosit, et poterat nostra opinione confidenter *dicebas* (cf. c. 19, 8) addi in hac sententia c. 27, 9 *causas exquirimus quas te solitum tractare paulo ante* dicebas *plane mitior et eloquentiae temporum nostrorum minus iratus;* in qua praeterea nihil est quod legentem impediat; nam *plane mitior et minus iratus,* in quibus nuper Ribbeckius haesit, componuntur quemadmodum *plane leviores et minus prudentiae exigentes* c. 35, 17. Sed omissa vocula offecit etiam c. 16, 23

> *vos autem Demosthenem et Hyperidem profertis, quos satis constat Philippi et Alexandri temporibus floruisse, ita tamen ut utrique superstites essent.*

Subabsurde enim Demosthenes et Hyperides *utrique* h. e. et Philippo et Alexandro superstites fuisse dicuntur, quorum ille amplius duodecim annis ante hunc occidit; sed scripserat Tacitus *ut* huic *utrique superstites essent,* et *utrique* nominativus casus est ad duos oratores relatus qui proximis post Alexandrum annis interierunt; *utrique* autem more huius aetatis de duobus dicitur, ut *utrosque* de Apro et Secundo c. 2, 7. Nec fere dubitamus addita voce lucem addere Materni orationi c. 40, 6

> *Iam vero contiones assiduae et datum ius potentissimum quemque vexandi atque ipsa inimicitiarum gloria, cum se plurimi disertorum ne a P. quidem Scipione aut Sulla aut Cn. Pompeio abstinerent et ad incessendos principes viros ut est natura invidiae populi* poetae *quoque et histriones auribus uterentur, quantum ardorem ingeniis, quas oratoribus faces admovebant.*

Etenim *poetae* nomine adiecto sententia oritur perspicua oratorisque consilio consentanea. Haec est enim illa quam Maternus praedicat inimicitiarum gloria qua illis turbulentis reipublicae temporibus principes viros quae est natura invidiae incessere vel in scaena spectante populo per poetae versus histrionumque actionem licebat. Illustre est Ciceronis exemplum quid illa aetate in theatro ac ludis concessum fuerit, qui cum ita glorietur in oratione pro Sestio c. 57, 122 *sed tamen illud scripsit disertissimus poeta pro me, egit fortissimus actor, non solum optimus, de me, cum omnes ordines demonstraret, senatum, equites Romanos, universum populum Romanum accusaret 'Exsulare sinitis, sistis pelli, pulsum patimini',* et rursus c. 58, 123 *et quoniam huc me provexit oratio, histrio casum meum toties collacrimavit, cum ita dolenter ageret causam meam, ut vox eius illa praeclara lacrimis impediretur, neque poetae, quorum ego semper ingenia dilexi, tempori meo*

defuerunt, eaque populus Romanus non solum plausu sed etiam gemitu suo comprobavit, intelligimus, quam non alienum fuerit Materni oratione cum histrionibus copulari poetas. Et in his quidem una addita voce defungi licebat: graviore defectu laborant verba quae c. 19, 1 in Apri oratione in hunc modum tradita leguntur

nam quatenus antiquorum admiratores hunc velut terminum antiquitatis constituere solent qui usque ad Cassium quem reum faciunt quem primum affirmant flexisse ab ista vetere atque directa dicendi via non infirmitate ingenii nec inscitia litterarum transtulisse se ad illud dicendi genus contendo sed iudicio et intellectu.

Nam quod ea superiorum criticorum vestigia persecutus novissime Adolfus Michaelis demptis pluribus verbis in hanc formam redegit qua iam in editionibus feruntur *quatenus antiquorum admiratores hunc velut terminum antiquitatis constituere solent: Cassium Severum, quem primum affirmant flexisse* cet., facile largimur probabilem ea scriptura sententiam nasci, sed tamen eandem quoties ad respectum memoriae referimus causamque additamentorum quibus Taciti orationem auctam esse statuit inquirimus, etiam atque etiam veremur, ne de natura ac sede morbi deceptus manum admoverit eis quae sana sunt, quae vero laborant ea intacta reliquerit. Quam enim hoc credibile ducimus, *Severum* nomen abiisse in verba quae sunt *quem reum,* aut qua fide hanc sententiolam *quem reum faciunt* abiiciendam arbitramur, qua nihil potuit aut ad hanc rem quam agit Aper efficacius aut huius sermoni dialogi convenientius excogitari. Etenim et reum faciunt iudice Apro antiquitatis admiratores hunc Cassium Severum et cur reum faciant addit causam, quodque haec ἀσύνδετος oratio *quem reum faciunt, quem primum affirmant flexisse ab ista vetere dicendi via* paria paribus accumulat et ad clariora a minus definitis progreditur, agnoscimus eloquentiam Apri, cui ne haec quidem displicuerunt de capite 16, 17 *hoc primum interrogabo, quos vocetis antiquos, quam oratorum aetatem significatione ista determinetis,* nec fere dissimiliter Materni oratio c. 40, 22 *donec erravit, donec se partibus confecit, donec nulla fuit in foro pax, nulla* cet. triplici gradu per soluta membra ad ampliora et magis expressa ascendit. Quodsi vere haec verba *quem reum faciunt* a suspicione falsi vindicamus, iam paene manifestum est, nihil alieni in hunc locum illatum sed culpa librariorum hiare orationem, in qua primum plenum *Cassii Severi* nomen desideratur quod plenum ponitur in responsione Messallae c. 26, 17, desiderantur porro quibus illa nunc pendentia verba *qui usque ad Cassium* in integrum enuntiatum suppleantur; quae verba qui ad *terminum* referri putaverunt in iisque certissimum interpretis indicium agnoscere sibi visi sunt, longe a vera ratione deerrarunt. Nam ut breviter complectamur quae sentimus, hanc censemus huius orationis pristinam fuisse conformationem.

nam quatenus antiquorum admiratores hunc velut terminum antiquitatis constituere solent, qui usque ad Cassium [Severum eloquentiam aequali et uno tenore

processisse statuunt, Cassium], *quem reum faciunt, quem primum affirmant flexisse ab ista vetere atque directa dicendi via, non infirmitate ingenii nec inscitia litterarum transtulisse se ad illud dicendi genus contendo sed iudicio et intellectu.*

In quibus verba, quae addidimus colore ducto a Seneca, nimirum non praestamus, sententia vero, quam addendo effecimus, ex ipsa Apri argumentatione prompta est, qua is c. 18 adversariorum opinionem convellere studuit, quasi eloquentia antiqua, quam illi vocant, nullam ipsa mutationem passa una et aequabilis semper fuerit ob eamque causam certo quodam ac definito termino ab inferioris aetatis arte oratoria intersaepiatur. Illud addimus per hanc qua usi sumus supplementi rationem ne causam quidem et originem defectus esse obscuram, si quidem recte ipsa suadente et paene poscente orationis forma *Cassii* nomen bis posuimus. Interpolationis autem vestigia si tamen aliqua sunt perpauca esse in hoc dialogo nobis persuasimus, et irascimur viris doctissimis, qui velut in Materni oratione c. 13, 10 *testes Augusti epistolae, testis ipse populus, qui auditis in theatro Virgilii versibus surrexit universus et forte praesentem spectantemque Virgilium veneratus est sic quasi Augustum*, scite nec sine subtili artis sensu ad participia adiectum nomen *Virgilium* auferunt. Sed si vellemus exemplis demonstrare, quae multa in promptu sunt, quoties in eodem aut simili genere Ciceronis editores peccavissent cultissimamque Tullii orationem importunis manibus deformassent, longa tela texenda esset, quam non ordiri satius duximus quam praepedientibus huius scriptionis angustiis inchoatam relinquere.

Scr. m. Aprili MDCCCLXXVIII.